R E C T O R
ET PROFESSORES ACADEMIAE,

Studiosæ Juventuti, S.

QUanta cum fide & diligentia versemur quilibet in Sparta quam nacti sumus exornanda, & nostræ nobis abundè testantur Conscientiæ, & sciunt ac sentiunt, quotquot nostrâ operâ in suis studiis dirigendis & promovendis privatim & publicè seriò utuntur. Ac præsertim cùm plurimum intersit Juventutis, se præparantis ad superiores Facultates, ipsam-ve Philosophiam docendam, solidâ nec perfunctoriâ imbui notitiâ rerum Philosophicarum, non solũ qui ex Nobis ad certas earum partes publicè proponendas ex professo ac specialiter sunt auctorati, id agunt statis & ordinariis suis Prælectionibus publicis, Logicis, Ethicis, Politicis, Physicis & Mathematicis, quibus & privatas adjiciunt institutiones, quæ à se expetuntur, verum etiam insuper nonnulli alii Nostri Ordinis, ceu ejusdem Facultatis Artium Collegæ & membra, proindeque ejusdem juris hac in parte cum cœteris, quanquam in solis Philologicis & Historicis publicè ex suæ Vocationis & Professionis specificæ legibus occupentur, subcisivis tamen horis, privata quoque habent Collegia Philosophica, in quibus non uno modo Juventutem, ipsorum operam ad id expetentem, instituunt & exercent. Ut autem in hac mentium nostrarum nativa caligine multũ est quod nescimus, & alii alio modo, aliaque methodo solent eniti in hoc genere studiorũ ad perceptionem & traditionẽ Veritatis, sic honestam Philosophandi libertatem, quæ nec bonis moribus, nec Dei Verbo & Orthodoxę Pietati, nec publicis Academię nostrę legibus, adversetur, omnibus Professoribus Facultatis Artium, Philosophica inter nos publicè aut privatim tractantibus, sartam tectam esse debere, consultum & necessarium semper judicavimus, & etiamnum judicamus; ut in cujusque hoc agentis judicio & arbitrio situm sit, non solum sententias quas veriores, probabiliores ac certiores putaverit, proponere ac tueri, sed etiam eos deligere Authores & libros, ad quos sua privata Collegia, quà explicando, quà examinando, quà disputando, habeat & dirigat. Amicus esto Plato, amicus Aristoteles, amicus Ramus, amicus Cartesius, amicus Eustachius aut Burgersdicius, alius-ve Antesignanus, sed magis amica Veritas. Ita Veteribus sua constet authoritas, ut etiam sua laus maneat illibata Neotericis & Recentioribus: Eorum tamen nemo tanquam infallibilis aut ἀλάνθαστος, & in cujus verba jurandum, proponatur aut defendatur: sed boni Præceptores columbas imitentur, quæ ubi-vis puriora legunt grana, quibus ingluviem pullorum suorum referciant: Deturque opera ut quemadmodum singulis Facultatibus, Dei beneficio, & Munificentiâ Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum hujus Provinciæ, Dominorum nostrorum Clementissimorum, optimè prospectum est, in nostro Athenæo, ita Facultas Philosophica speciatim, referat vel officinam bene instructam, in qua quisque reperiat merces, suo genio & ingenio magis convenientes, vel cœnam dubiam & omninò opiparam, in qua quilibet sumat, quot magis sapit suo palato. Sic enim ipsa Juventus studiosa paulatim assuescit uti proprio judicio, & diversas ac discrepantes suorum Præceptorum vel Methodos, vel Opiniones ac Sententias, modestè conferendo, ut ex silicibus inter se collisis excutitur ignis, acquirit sibi sensus exercitatos, ad discretionem boni & mali, veri & falsi: & tanneitam, quam ibi vindicant Proceres, his ultimo cancellis circumvallatam volunt & ponderosius; Ut nempe primo dissentius ille & opinionum discrepantia, animorum discordiam non trahat, nec abeat in simultates, jurgia & rixas, quibus vel privatim sibi mutuò detraherent, vel publicè cum offensione bonorum, dispendio Juventutis, cujus bono & profectibus sua studia consecrarunt, & ipsius Veritatis, quę altercando amittitur, notorio periculo, in se mutuo nominatim ex professo insurgerent: Sed quod Philosophos veros, & præsertim bonos

conferendo, ut ex silicibus inter se collisis excutitur ignis, acquirit sibi sensus exercitatos, ad discretionem boni & mali, veri & falsi : & tan-
nemtam, quam sibi vindicant Proceres; ne ultrò cancellis circumvallatam volunius & ponderetur; Ut nempe primo dissentus ille & opinionum discrepantia, animorum discordiam non trahat, nec abeat in simultates, jurgia & rixas, quibus vel privatim sibi mutuò detraherent, vel publicè cum offensione bonorum, dispendio Juventutis, cujus bono & profectibus sua studia consecrarunt, & ipsius Veritatis, quę altercando amittitur, notorio periculo, in se mutuo nominatim ex professo insurgerent; Sed quod Philosophos veros, & præsertim bonos Christianos ac honestos Collegas decet, se invicem, licet aliter sentientes & docentes de rebus Philosophicis, omni honore, favore, amore, privatim & publicè, præsentes & absentes, prosequantur : Secundò ut in suis Philosophematis, apud pubem Academicam, se contineant intra suæ Facultatis circulum, nec ullo modo per vitiosam μεταβασιν εἰς ἄλλο γένος transeant ad ea quæ sunt aliarum Facultatum, maximè Theologicę; sive sua Philosophemata Verbo Dei & fidei Mysteriis applicando, aut ex illis muniendo, sive Scripturas in rem suam citando & explicando, sive quomodocunque Theologica κατασκευαστικῶς vel ἀνασκευαστικῶς suis opinionibus stabiliendis, aut alienis evertendis adhibendo : Ita vice versâ seriò rogamus, hortamur & monemus omnes Ornatissimos nostræ Academiæ Cives, præsentes & futuros, quibus propositum esse debet ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ, juxta monitum Apostoli, ne illam Præceptorum suorum honestam libertatem, præposterè trahant in argumentum licentię, aut materiam factionum, per quas, ut olim vitiosè apud Corinthios, alter Cephæ diceretur, alter Apollos; & Sectarum nomina, vel fingerent sibi, vel affingerent aliis, & sic odiorum & contentionum fomenta in Academiam inferrent; ut pronuper nonnulli, Nobis omnibus ex asse improbantibus & detestantibus, improvidè admodum inceperant; unde lites, pugnas, vulnera processisse, non sine dolore & indignatione vidimus : Et graviora adhuc sequutura fuissent, nisi jam serpens incendium, maturè restinctum fuisset, Deo nostris aspirante consiliis, ipsaque Juventute ad lineas ultrò redeunte, & errorem suum agnoscente; quapropter & Nobis & Illi ex animo gratulamur. Mementote igitur *ô Lectissimi Dilectissimique Juvenes*, Vos unius Academiæ matris cives ac filios esse genuinos, non viperinos, qui ejus viscera per contentiones & factiones laceretis. Utimini in rem vestram, illâ discrepantiâ sententiarum, quæ obtinet inter Philosophos, omnia probando, & quod bonum est, aut melius, ubi maturuerit judicium, deprehendetis, retinendo; Sed eâ in perniciem vestram & contentionum segetem ne abutamini. Omnes vestros Præceptores adite reverenter, audite attentè, & pari honoris cultu ac amoris affectu semper suspicite. Ac prout illi, non sibi, sed toti Academiæ ac Veritati inprimis, Discipulos facere student, quos sic præparent ad majora, sic neque Vos Vobis hunc illum-ve nominatim ex ipsis Præceptorem constituite, cum fastidio vel contemtu alterius; Sed usi vestrâ, quam totam Vobis, hac etiam in parte, relinquimus, libertate, omnium conjunctim & singulorum disjunctim Vos discipulos profitemini & agnoscite : Nec temerè præjudicate, multominus pronunciate, de hoc vel illo Philosophandi genere, priusquam pro modulo vestro, quid & quale illud sit perceperitis, ex illo recepto Axiomate, *Audi alteram partem*. Cogitate Vos omnes solum Sapientiæ & Veritatis illius, quæ rationibus ostendi vult, non authoritate humanâ præsumi aut imperari, amatores, cultores ac studiosos, sed quod magis est Christianos esse ac dici debere, adeoque verè fraternâ Charitate, quæ vinculum est perfectionis, inter vos sanctè colligari oportere; non verò Stoicos aut Peripateticos, Scepticos aut Epicureos, Aristotelicos aut Cartesianos, nuncupari, & sub talibus nominibus factiosis, iis haud dissimilibus quæ in Monachis improbamus, quod nec Christianum, nec Philosophum foret, vos mutuo insectari. Denique apud Vos reputate, quod sicut Deus olim, se exhibiturus Eliæ, non erat in vento vehementi, nec in concussione, nec in igne, sed in voce silentio tenui, ita Eruditionen & Sapientiam non comparari rixosis jurgiis, altercationibus clamosis, contentionibus factiosis, sed attentâ meditatione in silentio, sedulâ Docentium auditione, diligenti bonorum Authorum lectione, piâ Numinis invocatione, Pacis & Sobrietatis jugi studio, & amore sincero Concordiæ ac Pietatis; Quo Nos Vosque omnes in posterum constanter regi, etiam atque etiam à Deo Patre Luminum, Concordiæ & Pacis, precibus nostris contendimus & optamus. PP. die XXII. Junii MDCLVII.

Ita decretum in Curia Academiæ d. 16. Junii à *prandio*; Quod testor nomine Senatus Academici
MART. SCHOOCKIUS, Log. & Phys. Prof. ord. Acad. p. t. Sec.

LUGD. BATAV. Typis SEVERINI MATTHIÆ 1657.

284